



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**In Canonem Sacrificii Missae, Vti & reliquas eiusdem  
Partes Brevis Ac Lvcvlenta, & ad pietatem vtilis Expositio**

**Veken, Frans van der**

**Coloniae, 1644**

§ 11. Orate fratres, &c. vsque ad Praefationem

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9878**

§. XI.

*Orate fratres, &c. usque ad Præ-  
fationem.*

**C**VM Sacerdos non suo tantum nomine, sed etiam populi Sacrificium offerat: iure ab hoc postulat, ut quod suo nomine geritur, ratum habeat, & precum suarum communionem pro suo agnoscat: Fratres verò compellat, non Apostolorum tantum exemplo; sed præcipuè ipsiusmet Christi, qui nos non erubuit, teste Apostolo *a*, *Fratres suos vocare*. Simul seipsum & populum admonet, cum fratres omnes sint, inter se ament, & pro inuicem orent. Atque inter hæc manus extendit, ac si fraternæ charitatis pectus omnibus panderet: rursusque iungit, quasi intra illud receptos complecteretur.

Qui autem alios ad orandum hortatur, ipse exemplo præit, & orationibus, quæ secretæ dicuntur, attentius

*C* 3 *va*

*a Heb. 2.*

vacat. Id nomen obtinent, quod silentio peragantur, vel maioris religionis causa; (semper enim sacrum religioni silentium fuit) vel ad denotandum occultas Iudæorum conspirationes & machinationes in Christum. Iam enim propiùs ad mysteria Passionis recolenda Sacerdos accedit. Aliàs communi cum cæteris Missæ orationibus vocabulo Collectæ dicuntur: quia Sacerdos fungens legatione ad Deum pro populo, huius vota precesq; compendio colligit, & supplicis instar libelli Deo offert. Eas tandem finitas Sacerdos ad populum refert, quando altiori voce sollemnem profert clausulam, *Per omnia secula seculorum*: hîc verò ex sollemni etiam formulâ, Sacerdotis preces approbat, per Hebræum illud vel affirmantis vel optantis aduerbium, *Amen*. Neque est cur populum ijs, quæ non intelligit, assentientem, inconsideratæ forsan temeritatis accuses:

ses: nouit enim omnia ab eo spiritu veritatis simul & charitatis dictata, cui se suaque omnia securè committere queat.

---

C A P V T II.

*De Prefatione.*

**S**apienter æquè ac piè S. Gregorius a: *Tantò Deus ab hominibus digniùs honorandus est, quantò pro hominibus, & indigna suscepit.* Iure igitur Ecclesia, quo magis in hoc Sacrificio ad Dominicæ passionis commemorationem appropinquat, eò impensiùs diuinas laudes sibi celebrandas proponit: aduocatis etiam in earum societatem cœlestibus spiritibus, & infantium atque lactentium linguis ad eloquentiam excitatis. Ut sic scandalum Crucis euacuetur per gloriam, &

C 4 in  
a *Hom. 6. in Euang.*